

dem non est Matrimonium, sed quasi matrimonium spirituale, nec importat vinculum indissolubile, unde ex justa causa potest dissolvi: ex alia parte animus resignandi Parochiam cum pensione, servatis servandis, aufert omnem simoniacam pravitatem. Nec obstat Bulla 12. Pauli IV. in qua videntur simoniaci nuncupari, qui Beneficium sibi procurant animo illud postea alteri resignandi cum pensione; ibi enim est sermo de iis, qui ad eum finem procurant Beneficium, ut illud postea resignent in favorem tertii, vel cum, vel sine pensione: quod Pontifex sub anathemate, aliisque gravissimis pœnis damnabat ob eliminandas omnes fraudes, quæ tunc temporis fiebant; nam ex. gr. desiderabat Beneficium Petto, se pro ipso supponebat examini, fingens se esse Petrum, & si approbatur, Petrus obtinebat Beneficium. His, aliisque similibus, ut occurreret Pontifex, non solum prohibuit, ne quis pro alio se ita supponeret; verum etiam ne quis sibi procuraret Beneficium animo illud resignandi in favorem tertii cum pensione, vel sine illa. Cæterum si Parochus acceptet animo vero adimplendi munus, & servatis servandis, ex aliqua justa causa renuntiandi etiam cum pensione, non video, cur simoniacus debeat appellari. Vide Rosignol. de Simoniac. disp. 3. § 2.

### MENSE JULII.

**CAS. I.** Sempronius accepit ab ignoto monetam falsam, quam bona fide in alium transtulit. Hinc inscius à quonam illam habuerit, lamentatur. Q. an Sempronius postea advertens, se huic eam dedisse, teneatur bona moneta illam commutare?

Respondeo affirmative. Ex quo enim bona fide eam in alium transtulit, arguitur quidem quod talis error non fuerit ipsi voluntarius, & ad culpam imputabilis: non sic vero quod non teneatur illum emendare, cum ad ipsum advertit, novitque eum esse alteri noxium; ut enim recte inquit Petrus Navarro de Rest. lib. 3. cap. 1. n. 312. *Error meus non debet alteri nocere, sed omnis error tenere suos debet auctores.* Hinc licet talis moneta amplius non stet apud Sempronium, & ex ejusdem translatione in alium ditionis effectus non sit; tamen ratione contractus illum, cui ipsam tradidit, tenetur indemnem servare: hic enim per contractum, ex. gr. venditionis, ipsi tradendo rem suam, acquisivit jus ad æquivalens, ac justum pretium rei, consistens in bona, non in falsa moneta. Bonacina de Rest. disp. 1. quæst. 4. part. 2. num. 6. Lessius, aliique communius.

**CAS. II.** Titius in rixa abscidit Fabio pollicem. Q. an sit irregularis. Respondeo negative. Ratio est, quia irregularitas ob mutilationem non incurritur nisi per mutilationem membri veri, & proprii, quod nempe habet proprium officium operandi ab aliis partibus distinctum, ut colligitur ex illo Apostoli ad Rom. 12. *Omnia membra non eundem actum habent*, ac patet ex odiositate materiæ, de qua fit quæstio. Sed pollex, non est membrum verum, & proprium, ut probat Barthulus in l. *Publicorum ff. de publ. jud.* & alii apud Salcedum in pract. crim. cap. 101. Ergo per abscissionem, pollicis in rixa Fabio factam à Titio, hic non est irregularis. Nec obstat eum

eum esse irregularem, cui deest pollex; sicuti enim est irregularis amens, spurius, ac habens manum enervatam, licet irregularis non sit qui genuit spurium, vel amentem, aut alteri manum debilitavit; ita esse potest irregularis ille, cui deest pollex, quamvis talis non sit qui ipsi pollicem abscidit, ut ait optime Syrus de censuris, lib. 6. cap. 15. Continuator Oper. Tournely de irregularitat. part. 2. cap. 8. art. 1. q. 1.

**CAS. III.** Aromataris locavit omnia vasa, & medicamenta suæ apothecæ ad decem annos, ea conductori tradendo certo pretio æstimata, cum expresso pacto, ut hic singulis annis solvat tantum pro centenario, & in fine conductionis restituat vasa, & medicamenta eodem pretio æstimanda. Q. an talis contractus sit licitus? Respondeo, per se loquendo, illicitum esse talem contractum. Ratio est, quia conductor in tali casu absolute obligatur contra justitiam, & naturam contractus ad subeunda omnia pericula rei locatæ, quod est quid transcendens terminos locationis: etenim qualitas, & natura hujus contractus ea est, ut rei locatæ periculum non ad conductorem, bene vero ad locantem pertineat, ut fatentur DD. communiter. Hinc in ipsa stipulatione contractus, vel habitus fuit respectus ad isthæc pericula, & ad proportionem eorumdem tantum fuit detractum de annua pensione solvenda à conductore; & tunc talis contractus, præsuppositis aliis debitis requisitis, est licitus. Vel non fuit habitus respectus, ad præfata pericula, & per consequens ob illa non fuit facta conductori ulla pensionis diminutio; & tunc idem contractus dici debet illicitus.

### MENSE AUGUSTI.

**CAS. I.** Mennas interrogatus à Judice, an Fulvius commiserit homicidium, etsi certo sciret, hoc revera fuisse ab eo commissum, noluit id testificari, eo quod ipsi innotescebat nullum alium id nosse. Q. an male se gesserit.

Respondeo negative. Quia non tenebatur illud testificari, cum non fuerit de eo juridice interrogatus. Et ratio est, quia cum homicidium à Fulvio commissum esset occultum, & quidem taliter, ut ipsi soli Mennæ innotesceret: Judex jus nullum habebat ipsum interrogandi: siquidem tale jus solum eo tunc convenit Judici, etiam competenti, quando crimen est diffamatum, vel saltem per semiplenam probationem manifestum, ut comm. notant DD. & signanter Philippus Grossi tract. 15. de Præcep. Decal. quæst. 1. art. 2. Porro regula generalis est, quod non peccat reticens veritatem, quando circa eam sciscitanti non tenetur respondere. Sotus de Just. & Jur. lib. 5. quæst. 7. art. 1.

**CAS. II.** Vendit Villicus Cauponi doliam vini, sed antequam hoc illi tradat, exinde haurit corbam ejusdem, tantum aquæ substituendo: hoc non obstans, minutim Caupo illud revendit eodem pretio, ac tempore, quo purum revendisset. Q. an Villicus teneatur aliquid restituere?

Respondeo affirmative. Tenetur enim restituere, vel corbam vini ablatam, vel justum pretium ejusdem. Ratio est, quia licet non intulerit damnum Cau-

poni, rem tamen alienam injuste accepit; quod sufficit ut ipsam, vel ipsius pretium restituere teneatur; cum inter radices restitutionis *injusta acceptio* communiter recenseatur. Addo, Villicum in casu tradere aquam pro vino, & quidem eodem pretio, in quo sane intervenit magna deceptio, & injustitia, præcipue cum tempore contractus vendiderit dolium vini, prout erat eo tunc, & sub hac conventionem Caupo se obligaverit ad ipsi solvendum tale pretium. Unde sicuti, posito mutuo consensu in contractum, Villicus statim acquisivit jus in tale pretium conventum, & si vinum talis doli emptum evanisset, evanisset Cauponi; ita rationi ejusdem mutui consensus Caupo acquisivit jus ad tale vinum aqua non immixtum; proindeque injustitiam ei facit sumendo vini corbam, & tantumdem aquæ supponendo, sumit enim quod suum amplius non est; cum emptio, & venditio mutuo partium consensu perficiatur. Azorius part. 3. lib. 8. cap. 23. quæst. 3. Salas de emptione, & venditione dub. 12. Molina, Rebellus, & alii. Neque dicas, villicum non teneri tradere Cauponi vinum majoris perfectionis, & integritatis; ac ab aliis vendatur; item sic mixtum æque utile esse ad usum humanum, ad quem emitur, sicque eandem retinere æstimationem, cum hæc desumatur per ordinem ad usus humanos: ne dicas, inquam: hæc enim valent contractum nondum peracto, non vero è contra; nam in hoc casu emptor jus habet supra rem majoris bonitatis ac perfectionis.

CAS. III. Conjux ad excitandum appetitum in uxore ægrotante, comedit die Veneris simul cum ipsa pulmentum in jure. Q. an licite.

Respondeo cum distinctione. Vel de tali pulmento sumit in modica quantitate; & tunc dico, quod id licite peragit. Vel de eo sumit in quantitate notabili; & tunc dico, quod hoc peragit illicite. Ratio primæ partis est, quia pietatis, & charitatis motivum etiam à veniali, in casu, ipsum excusat, ut inter alios recte tradit Confessarii Monialium instructor cap. 11. §. 7. quæst. 6. Et sane si id licet coquis, ac pincernis. Principium ob necessitatem servitii, aut securitatem dominorum, cur non licet conjugii ex urgenti motivo charitatis, maxime cum infirmæ refectio sit urgentior causa? Sanchez Cons. Moral. lib. 4. cap. 1. dub. 22. n. 10. Ratio sec. partis est, quia non adest ita necessitas sumendi de tali pulmento in magna quantitate, cum infirma possit adjuvari suasionibus, ac piis exhortationibus, modica cum dicta sumptione conjunctis. Nec obsrat factum S. Spiridionis Episcopi, qui cum peregrino ex itinere fesso comedit carnes porcinas tempore vetito, ut referunt Sozomenus, & Nicephorus apud Azorium part. 1. lib. 7. c. 29. quæst. 2. Nam in primis tale factum non est omnino certum; deinde sanctus Episcopus nil aliud habebat, scilicet, neque panem, neque farinam, & agebatur de illo, quem timebat alias moriturum, nec cibum sumpturum, nisi simul ita cum ipso comederet, ut videre est apud Azorium l. c. Unde hoc probat, id esse licitum, quando hoc exigat extrema necessitas proximi.

CAS. I. Juravit agricola, nemini communicare secretum, quo à gravi morbo ipse ab amico sanatus est. Ac videns pauperem eodem morbo gravissime tortum, huic sub sigillo illud communicavit. Q. an sit reus perjurii.

Resp. negative. Ratio est, quia juramentum non obligat, quando sine peccato, etiam levi, impleri non potest, imo nec quando illud implementum esset contra bonos mores, etiam naturales, ut ex Gloss. in cap. *Si vero de Jure jur. V. salutis aeternæ*, notavi ad 1. April. 1748. Jam vero in casu sine peccato impleri non poterat, nam charitas, qua potens est subvenire proximo suo gravissime indigenti, & tenetur illi subvenire ex lege tum divina, cum naturali, urgebat agricolam eidem subvenire, proindeque hic reus perjurii dici non potest; omnia enim jura, ac DD. comm. clamant, juramentum non esse vinculum iniquitatis. Neque in hoc casu amicus qui secretum agricolæ communicaverat, poterat censeri rationabiliter invidus; nam etiam ipse si fuisset præsens, vel patientem gravissimum malum audisset, eadem charitatis lege ipsi succurrere debuisset.

CAS. II. Vir valde pinguis Imolam profecturus, volebat equum conducere, ac metuens quod si Locator ipsum videret, nollet equum ipsi locare, vel duplum exigeret, alium substituit, qui pretio consueto ipsi equum conduxit. Nunc Imola reversus, reduxit equum adeo defatigatum, ut per aliquot dies hunc dominus nequeat denuo locare. Q. an teneatur domino reficere tale damnum.

Respondeo cum distinct. Vel qui locavit equum, erat locator ex officio, seu professione, vel non. Si non, dico, virum pinguem teneri reficere damnum locatori, etiamsi equum paverit, omnemque possibilem curam circa ipsum adhibuerit. Ratio est, quia in hoc casu rogatus, an vellet suum equum locare, attendit personæ, cum qua agebat, exclusa qualibet alia, adeoque locum habuit dolus ac deceptio, ratione cujus propterea obligatur conductor ad refectionem damni; cum fuerit contra voluntatem locantis, quod ipsius equus inserviret alteri ab eo, qui eundem postulavit. Si postea erat locator ex officio & professione, dico virum pinguem non teneri &c. in hoc enim casu locatio censetur facta more communi locatorum, qui dantes equos conductoribus non attendunt, an debeat inservire petenti, vel alteri, ac probe sciunt, quod sæpe unus pro alio petit, unde si in casu locatio facta fuit viro nimium pingui, deceptio debet adscribi non dolo conductoris, qui more communi equum conduxit, sed incuriæ locantis, qui poterat petere cui inservire deberet. Addo, quod ut dolus incidens in contractum det jus decepto petendi refectionem damni, debet dolus provenire à parte decipiente aliam partem contrahentium, non ab intrinseco errore unius ex ipsis; dolus enim definitur; Machinatio alterum decipiendi. Sed hoc non verificatur in casu, ergo &c. Ita Cassianus à S. Elia decis. 71.

CAS. III. Vitalis à viro divite injusta, ac valde dispendiosa lite vexatus, plena sæpe cum voluntarietate illi optat, quod gravi apprehendatur infir-

mitate, ac fiat pauperrimus. Q. an ob hoc sit culpæ arguendus.

Resp. cum distinctione. Vel hoc illi optat in quantum est malum illius, & ex displicentia personæ; & tunc certum est, gravis culpæ ob hoc ipsum esse arguendum, cum hoc directe opponatur legi charitatis, qua tenemur proximum nostrum diligere. Vel hoc illi optat in quantum esset impedimentum injustæ ac dispendiosæ litis; & tunc dico cum Bonac. disp. 3. q. 4. punct. 3. n. 1. Girib. & aliis, ob hoc ipsum non esse gravis, immo nec levis culpæ arguendum, id enim est desiderare cessationem proprii nocimenti, non malum proximi. Hinc S. Thom. in 3. dist. 30. art. 1. ad 4. ait: *Potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere si contingat, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenemur diligere. Caveat tamen à vindicta.*

M E N S E O C T O B R I S.

**CAS. I.** **A** Ccusatus est Nereus apud Judicem de gravi crimine ab ipso vere perpetrato. At quia per testes hoc probari non potest, nec illud negat, sed falsarium, & calumniatorem appellat accusatorem, qui propterea ut falsarius, & calumniator communiter habetur. Q. an Nereus teneatur illi famam restituere.

Respondeo negative cum Navarro, Soto, Molina, Sylvestro, cæterisque communius, quos citat, ac sequitur Petrus Navarro de rest. l. 2. cap. 4. n. 428. & seq. Ratio est, quia, si res serio consideretur, Nereus, in casu, nec falsum protulit, negando crimen à se fuisse commissum, nec accusatori calumniam impedit, hunc appellando falsarium, & calumniatorem. Etenim non protulit falsum, quia cum interrogatio ipsi facta supponatur juridica, procedebat de crimine ut publico, vel saltem per semiplenam probationem manifesto; ut potest erui ex responsione superius data ad primum Augusti. Proindeque cum tale non esset crimen ab ipso perpetratum, illud negare poterat, etiam cum juramento, ut tradunt Navarrus, Molina, Toletus, alique, quos refert, ac sequitur Bartholomæus à S. Fausto de Restit. disp. 21. quæst. 55. num. 2. cum responsio procederet in sensu interrogationis. Neque impedit accusatori calumniam, ipsum appellando, &c. Calumniator enim non solum dicitur qui falso accusat, verum etiam qui, nullis præcedentibus probationibus, accusat, prout teste citato à S. Fausto n. 4. colligitur ex cap. 2. de calumniat. Vel etiam dici potest quod illum appellaverit falsarium, & calumniatorem, quatenus impactum ipsi fuerat crimen publicum; prout de eo interrogabatur, in quo sensu non erat reus ejusdem, & sic erat calumnia illud, ut tale, ipsi impingere. Vide Petrum Navarr. l. c.

**CAS. II.** Sacerdos quidam gravibus quandoque concupiscentiæ stimulis vexatus, experitur displicentiam, quod statum conjugalem non elegerit. Q. an is hæc displicentia contineatur intra limites culpæ venialis.

Resp. cum distinctione. Vel hæc displicentia juncta est cum proposito non servandi promissa, & obligationes status assumpti, & in hoc casu dico, hujusmodi displicentiam, ut sic junctam cum tali proposito, se extendere ultra limites culpæ venialis, ac esse peccatum mortale, quemadmodum

mor-

mortale est tale propositum, ut rem serio consideranti sit manifestum. Vel juncta est cum animo adhuc servandi promissa, & obligationes status assumpti, & in eo casu dico, ipsam vel nullo modo esse peccatum, neque veniale, vel intra culpæ venialis limites contineri. Nullo modo est peccatum, neque veniale, si displicentia sit non de statu assumpto, sed de gravi periculo, cui subest propter majorem frequentiam, & urgentiam temptationum, ad quod proinde evitandum mallet elegisse alium statum: nam in primis hæc volitio est inefficax, & quasi conditionata: deinde alius status per se malum non est, & si ipsum elegisset, non peccasset. Tertio voluntas efficax, ac propositum, hoc non obstante, servandi promissa, ac ponendi media pro executione obligationum, quas contraxit, aufert omnem culpam. Esset demum culpa venialis, si otiretur ex quadam desidia & socordia in rejiciendis temptationibus; quibus propterea nollet subesse, ne adigatur ad pugnam; quod ut patet, involvit accidiam. De Vechis dip. 14. dub. 10. Suarez &c.

**CAS. III.** Furem absolute dispositum auferre Petro, vel Paulo scuta quinquaginta, à proposito dimovere conatus est Titius: At videns se nihil proficere, ei tandem suasit, quod si alterutri damnum inferre volebat, istud inferret Petro ditiori; cui is postea hoc intulit. Q. an Titius id suadendo, peccaverit.

Respondeo probabiliter affirmative. Ratio est, quia licet fur esset absolute dispositus alterutri auferre scuta quinquaginta, tamen non erat determinatus illa auferre Petro: sed ut ita dicam, ad hoc ipsum determinavit suasio Titii, quæ positive in casu furem induxit ad tale furtum Petri, & sic fuit vera positiva causa injustæ ablationis factæ tali personæ determinatæ: injustæ, inquam, quia neque Titius, neque fur jus ullum habebant supra scuta quinquaginta Petri, quantumvis Paulo ditioris. Sed quia per persuasionem fuit vera positiva causa injustæ ablationis factæ, &c. suadendo peccavit: fuit enim vera causa mali, etsi minoris quam si suasisset ablationem Paulo; ergo &c. Neque opponas, prudentis esse de duobus malis, quod minus est eligere; ideoque licitum etiam esse id alteri suadere; propterea cum in casu hoc egerit Titius, ipsum non peccasse. Contra enim assumptum est verum, quando agitur de damno temporali vitando: si enim duo mala, seu damna immineant, & utrumque vitari non possit, tunc certe prudentis est de iis eligere quod est minus, & alterum præcavere, atque hoc certe potest licite etiam alteri suaderi, immo talis suasio est conformis charitati. Illud tamen non valet cum agitur de malo culpæ, siquidem nequit eligi unum peccatum ad evitandum aliud; electio enim medii respicit bonum, sicque nec id, quod est minus peccatum directe ac positive suaderi potest, etiam ad vitandum majus: cum non sint facienda mala, ut eveniant bona, juxta Apostolum ad Rom. 3. Quare Titius poterat quidem furi suadere malum minus in genere, vel etiam illum instruere, quod in eo casu erat minus malum auferre quinquaginta à Petro, quam à Paulo; at non poterat positive ac directe illi suadere, ut furareretur Petro determinate, hoc namque non fuit consulere minus, sed consulere malum. Ita Cajetanus 2.2. q. 78. art. 4. cæterique communius.

Rr 2

MEN-

**CAS. I.** **S**cit tabernarius, quod si vendit vinum Sempronio, hic se inebriabit. Hoc non obstante, ne lucrum amittat, quod percipit ex hoc frequenti adventore, vinum illi vendit, quo mox se inebriat. Q. an adductum motivum se solo sufficiat ad cohonestandam talem venditionem.

Respondeo negative cum Giribaldo tract. 4. in Dec. cap. 7. dub. 8. n. 71. Viva in 51. Prop. damnatam ab Innocentio XI. num. 6. & aliis. Ratio est, quia amissio lucri, quod tabernarius accepit ex hoc frequenti adventore talis ac tanta non est, ut secum afferat grave illud incommodum, cui debet subesse, ut eximatur ab observantia naturalis ac divinæ legis, quæ ex charitate obligat unumquemque, ne præbeat scienter materiam peccati mortalis proximo suo, & quidem talis, ut non solum sit ipsi peccanti damnosum, verum etiam aliis periculosum, ut recte notat Giribaldus loc. cit. Requiritur ergo major causa, & motivum magis urgens, seu quid notabile adjunctum ad cohonestandam talem venditionem, puta, notabilis ob hoc absentatio emptorum cum suo magno detrimento, imminens periculum gravium injuriarum, &c. nec Tabernarium excusat illa ratio: *Si vinum illi non vendo, vendent alii.* Nam in primis qui ipsum agnoscunt, illi non ita facile vendent, cum sola prudens dubitatio de illius ebrietate secutura, retrahere eos debeat ab ipsi vendendo, ut cum Sanchez inquit Viva loc. cit. n. 7. Deinde quid illi refert, si alii male agent.

**CAS. II.** Sevit Sergius bona fide duas corbas tritici alieni in proprio agro, & exinde copiosum fructum percepit. Q. quantum, detecto errore, debeat restituere domino illarum corbarum.

Respondeo, debere illi restituere solum duas corbas, iis tamen, quas seminavit in agro suo, æquivalentes. Ratio est, quia in his solum ex una parte factus est ditior; ex alia seges orta in agro suo est fructus ejusdem sui agri, ac suæ industriæ; ita Sporer de rest. c. 2. sect. 2. §. 5. n. 72. idem dicens si Sergius eas seminasset mala fide, cum hoc tamen discrimine, quod tunc deberet etiam reficere Domino illarum corbarum damnum, quod ei emerisset, vel lucrum, quod ipsi cessasset ob injustam earumdem acceptationem.

**CAS. III.** Debebat Sejus Sempronio scuta centum, quorum restitutionem justam ob causam distulit. Sed quia ex hac dilatione emersit damnum creditori, petit à Confessario, an istud illi reficere teneatur. Quid respondet Confessarius.

Respondeo cum distinct. Vel fuit appositum pactum, quod Sejus teneretur ad interesse, si non solveret tempore debito, vel non fuit appositum tale pactum. Si primum; dico, Sejum teneri reficere damnum Sempronio. Ratio est, quia licet ad id non obligetur ex culpa, cum mora non fuerit culpabilis, tamen obligatur ex pacto, cui standum est. Hinc cap. *Pervenit* de fidejuss. habetur, quod quando fidejussor creditori solvit, quia principalis debitor in termino præfixo non solvit, tunc principalis debitor debet eum servare omnino indemnem, eidem satisfaciendo non solum quod pro eo solvit, sed etiam totum interesse, cujus detrimentum ob eam solutionem

nem subit. Si secundum; dico, Sejum non teneri Sempronio damnum reficere, quia secluso pacto sive expresso, sive tacito, morosus tenetur solum ex culpa, seu quando fuit in mora culpabili, ut tradunt Bonacina de Contract. disp. 3. q. 3. punct. 3. num. 5. Salas, & alii.

**CAS. I.** **S**æpe tristratur mercator, quod alii ejusdem conditionis merces vendant, & ipse non. Q. an peccet.

Respondeo neg. Ratio est, quia ejusmodi æmulationis affectus non est displicentia de bono proximi, nempe de lucro, quod ex frequenti mercium venditione alii mercatores percipiunt, quod certe si faceret mercator, peccaret contra charitatem; sed est displicentia de eo, quod ipse tali lucro careat, ut ajunt Layman lib. 2. tract. 3. cap. 10. num. 3. Palau tract. 6. disp. 4. punct. 2. num. 6. Notat tamen ad rem Coninch. disput. 30. num. 23. ejusmodi affectum communiter esse valde periculosum: quia excitat ita dolentes, nisi valde sibi caveant, ut vel malis artibus: v. g. de tractionibus, aut simili ratione, conentur emptores ab aliis ad se trahere, aut etiam ut absolute doleant eos frequentare vicini officinam, adeo ut optent, eos hanc non frequentare, etiam eo casu, quo suam non frequentant, ut hoc modo socios habeant in calamitate, qui affectus certe est peccaminosus, ita Coninch. loco præcit.

**CAS. II.** Constitutus in proximæ mortis periculo, non habens alium Sacerdotem, petit, ac obtinuit absolutionem à noto excommunicato vitando. Q. an valide fuerit absolutus.

Resp. neg. Sic enim declaravit S. Cong. Concilii, apud Fagnanum in 4. ad cap. *Non est vobis* de Sponsalibus, & apud Mattheuccium Offic. Cur. cap. 2. num. 19. sic referentem: *Episcopus Valentinois petit declarari: utrum pœnitentes in articulo mortis constitutos possit in casibus reservatis absolvere quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, & denunciatus. S. Congreg. censuit, non posse.* Nec immerito, excommunicatus namque denunciatus caret jurisdictione, ac subditis, utpote à fidelium communione separatus. Hinc verba Tridentini dicentis, omnes Sacerdotes posse in articulo mortis absolvere ab omnibus peccatis, ac Censuris, intelligenda sunt de Sacerdotibus idoneis, & capacibus recipiendi pro eo casu jurisdictionem ab Ecclesia, cujusmodi non sunt privati communione fidelium, & ab unitate Ecclesie præcise, uti est notorius excommunicatus vitandus. Vide Fagnanum, ac Mattheuccium l. c.

**CAS. III.** Parentes, ut à sæculi periculis amoveant filiam nubilem, avidam Nuptiarum, hanc, licet invitam, compellunt ingredi Monasterium, quousque idoneus ei sponsus inveniat. Q. an licite id peragant.

Resp. affirm. dummodo id fiat ad tempus discretum, nec ex eo fine, ut ibi religiosum induat habitum. Ratio est, quia licet Tridentinum sess. 25. c. 18. anathemati subjiciens omnes, & singulas personas, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel

vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem, &c. videatur innuere, solam coactionem ad ingressum Monasterii sufficere pro incurrenda excommunicatione: ideoque sub gravi esse prohibitam; tamen res ita se non habet: mens enim Concilii fuit consulere libertati puellarum, &c. circa electionem status, ac impedire coactionem earumdem ad ingrediendum Monasterium, ut ibi habitum induant, ut tradunt Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 9. n. 4. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 4. n. 12. aliique, quorum assertio ex eo vera conjicitur, quod Concilium ibi loquitur de illo ingressu in Monasterium, qui per se, ac jure ordinario permittitur, cujusmodi est solus ingressus ad finem suscipiendi habitum; ut patet ex eo, quod si aliqua velit aliter ingredi, nempe sine animo ibi habitum suscipiendi, pro tali ingressu requiritur dispensatio. Quare cum Parentes, de quibus quæsitum procedit, non compellant filiam ad Monasterii ingressum, ut ibi suscipiat habitum; sed tantum ut ibi remota à sæculi periculis per aliquod tempus immoretur, quousque idoneus ei sponsus inveniat; dicendum hanc compulsionem non esse contrariam menti Concilii, immo, utpote factam ex justo rationabilique motivo, in casu licitam esse parentibus. Ita Emman. Rodrig. in sum. tom. 2. cap. 8. n. 9.

## ANNO MDCCLIII. MENSE JANUARI.

**CAS. I.** Parochus, accepta elemoyna pro decem Missis celebrandis in suffragium defuncti, differt complementum earumdem usque ad bimestre. Q. an licite?

Resp. cum distr. Vel Parochus id facit de consensu illius, qui tribuit elemosynam, Missasque ordinavit; vel sine tali consensu, & ex proprio arbitrio. Si primum; dico, licite ipsum differre complementum earumdem usque ad bimestre: siquidem eo tunc id licere, non obscure colligitur ex pluribus S. Congregationis Concilii responsionibus, signanter ex illa ad dubium duodecimum circa decreta de celebr. Missar. edita auctoritate Urbani VIII. ac postea confirmata ab Innocentio XII. die 22. Decemb. 1697. necnon ex alia diei 9. Januar. 1627. ad dubium sextum ex propositis ab Episcopo Triguensi; prout videri potest apud Matheuccium de Offic. Cur. cap. 10. §. 2. n. 47. ac Pacem Jordanum tom. 1. Elucubr. lib. 5. tit. 1. de Sacrif. Miss. Si secundum; dico, Parochum illicite differre &c. ut in primis eruitur ex prohibitione accipiendi elemosynas manuales pro Missis, quibus satisfieri nequit infra modicum tempus, hoc est, *intra unicum mensem*, prout explicuit eadem S. Congregatio 17. Julii 1655. teste SS. D. N. Papa Benedicto XIV. in Notif. 15. tom. 3. Deinde motivum ac finis, ob quem Missæ in casu præscriptæ sunt, est admodum urgens, liberatio nempe animæ defuncti

à diris, quibus interim cruciatur, Purgatorii poenis. Hinc sicuti si Missæ ordinatæ fuissent pro graviter infirmo, tamdiu differri non posset complementum earumdem; ita & quidem à fortiori, idem dicendum in casu. Propterea Pasqualigus de Sacrif. nov. Leg. t. 2. q. 965. n. 9. ait: *Quando committuntur Missæ pro recenter defuncto, debent quamprimum, & sine dilatione celebrari; nam occasio, ob quam sunt celebrandæ, exigit quod sine dilatione celebrentur: siquidem si celebrandæ sunt ex commissione defuncti, remanet moraliter certum, nisi aliud expresserit, quod voluerit hoc subsidium statim post mortem. Si vero committuntur ab alio, occasio, ob quam committuntur, cum contineat præsentem indigentiam, præscribit celeritatem in celebrando. Possent tamen, quando esset magnus numerus Missarum, celebrari cum aliqua dilatione, ita tamen ut quotidie nonnullæ celebrentur.* Hactenus Pasqualigus.

**CAS. II.** Accepit Sacerdos elemosynam pro Missa celebranda ad quodcumque Altare voluerit; cumque eam celebret ad Altare privilegiatum, applicat Sacrificium pro onere suscepto, & Indulgentiam pro suo Consanguineo defuncto. Q. an rite hoc peragat?

Resp. cum distr. Vel privilegium Altaris concessum fuit (prout regulariter concedi solet) solum pro eo quo ibi offertur Sacrificium; & tunc clare patet, quod Sacerdos id rite non peragit; nam *Indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus qui dat Indulgentiam*, ut ait S. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 3. ad 2. Propterea si Pontifex pro eo tantum illam concessit, pro quo ibi Missa applicatur, constat non stare in arbitrio Sacerdotis eam applicare pro anima sui consanguinei defuncti, sed (velit, nolit Sacerdos) præsuppositis requisitis ab eo lucratur, pro quo ibi offertur Sacrificium. Passerinus de Stat. tom. 2. quæst. 187. art. 4. num. 988. Vel privilegium Altaris concessum fuit indeterminate quoad subjectum Indulgentiæ, ac præcise sub ea conditione, quod ibi Missa celebretur; & tunc dico cum Suarez, Rosignolo, & aliis, quorum sententiam non improbabilem vocat Theodorus à Spir. Sanct. de Indulg. part. 2. cap. 1. art. 4. §. 1. quod Sacerdos in casu rite id peragit; nam ex una parte illi, pro quo Missa applicatur, correspondet omne id, ad quod jus habet, nempe totus, ac integer fructus medius, seu specialis Sacrificii; ex alia cum Indulgentia nulli sit determinate affixa, potest à Celebrante applicari cui vult, sicque suo consanguineo defuncto; tunc enim applicatio ejusdem pendet à Celebrantis arbitrio; & celebratio Missæ requiritur, ut merum opus injunctum pro applicatione, & lucro Indulgentiæ. Puteobonellus de Sacrif. Miss. quæst. 4. art. 2. §. 2. num. 14. recte monens, pro ipsa Indulgentiæ applicatione exigi non posse stipendium.

**CAS. III.** Peracta à Capellano prima consecratione, sincopæ fuit abreptus, propterea fuit illi substitutus alius Sacerdos, qui Sacrificium perficeret. Ast quia itum hic, cum illè applicuit Sacrificium, Q. an hoc prosit illi, cui fuit applicatum à primo; an cui à secundo?

Resp. probabilius illi prodesse, cui fuit applicatum à secundo. Ratio est, quia ut Sacrificium prosit cui applicatur, debet esse completum atque perfectum in suo esse; quousque enim causa non est perfecta in ratione causæ, apta non est producere effectum; atqui juxta communem, probabilioremque